et torquetur. Sic et Judaei aureo vitulo immolantes aureo poculo vita privati sunt. 0502

Deinde a piscina praedicta ascendimus et ad unam latam plateam venimus in horto, (quae) nescio quam ob causam calva est, ita quod non crescunt in pecia ista gramina, sicut in aliis horti locis. In illa platea creditur esse locus, in quo aureus vitulus fuit fusus et fabricatus per Aaron, sicut habetur Exod. XXXII. Accepit enim a mulieribus et a populo inaures aureas et annulos et vasa aurea et projecit in ignem, et opere diaboli egressus fuit vitulus aureus, quem eodem modo ut Aegyptii putabant esse Apim. Sicut enim Aegyptii ex aqua Apim susceperunt in forma tauri, sic Israelitae eundem in forma vituli ex igne receperunt. Adorabant enim gentiles homines deificatos, non in propriis humanis formis, sed in formis bestiarum, in quas fabulae docebant eos transmutatos esse: ut Jupiter transmutatus in arietem adorabatur in specie arietis; Apis in specie tauri; Venus in pisce; Saturnus in equo; Niobe in lapide; Hermione in serpente; Juno in vacca; Actaeon in cervo; Antigone in ciconia; Aldona in carduele; Daphne in lauro; Atlas in monte, quem Perseus transformavit in montem; Arcades pastores in lupis. Et ita de multis aliis dicere possem. Ideo diabolus potius in igne vitulum conflavit, quam (b) hominis sculptile. 0500 0506 0496 0511 0491 0551 0451 0601 0401 1001 0001

Ulterius processimus et ad unam singularem petram venimus ad radicem montis Oreb jacentem ad modum magni clibani. Ad hanc petram illisit Moyses duas tabulas lapideas decem praeceptorum, videns vitulum et sacrificantem populum. Erant autem duae illae tabulae opere Dei dolatae et digito Dei conscriptae et de pretiosissimo et splendido lapide, cujus fracturae evanuerunt. Dicunt Judaei, quod scriptura legebatur ab utraque parte lapidis, quod fuit miraculosum, quia dato, quod litterae in utraque parte videantur, sicut in pergameno tenui et perspicuo, solum tamen in una parte legi potest scriptura, quia in alia charta revoluta sunt litterae perversae. Ex hoc dicto creditur lapis fuisse clarus, lucidus, perspicuus et forte talis necesse erat, quod etiam in tenebris et nocturno tempore lucebat et legibilem scripturam semper ostendebat, sicut semper mandata ibi conscripta observanda erant. Sed

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-3;